

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate ac
modo**

**Fickelschers Erben und Stranckmann Fickelschers Erben und
Stranckmann**

Ienae, MDCCLXXXVI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9740

MEMORIAM
NATIVITATIS IESV
CELEBRANDAM
INDICIT
ACADEMIA IENENSIS.




De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate et modo.

Sectio IV. et ultima.

I E N A E
EX OFFICINA STRANCKMANNIO — FICKELSCHERRIA.
c1o1occlxxxvi.





Farbkarte #13

B.I.G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



Quaquam ad dignitatem Servatoris nostri intelligendam atque admirandam vita eius publica miraculis factisque cum maxime illustris plurimum adducat, sicut superiore dissertatione a nobis evictum est, tamen eam unice intueri, atque vitae privatae contemplationem negligere vel posthabere, nec iustum nec consentaneum videtur. Ac in universum multa reperiuntur, quae domestica quasi studia, mores, disciplinam studiose indagare et diligenter expendere suadeant, praesertim in viris magnis et gravibus publicaque sive muneris dignitate, sive rerum gestarum laude, sive auctoritate justa conspicuis. Quos dum in secessum quasi actionum suarum persequimur, eosdem non sine voluptate videmus ad humanitatem, ut ita dicam, redire, ultra quam egregiis

egregiis factis animique praestantia et diviniore dignitate publice
 evecti essent, et cum reliquis hominibus rursus confociari, sive vi-
 vendo, sive agendo, unde aequalitatis sensus, mire delectans, sub-
 oritur. Nec omnino verendum est, ne tali contemplatione ho-
 nori virorum magnorum quidquam detrahatur, qui tantum abest,
 ut domestica virtute et communibus studiis contaminetur, ut po-
 tius firmior et splendidior fiat, ubi intelligas, eosdem non deposuisse
 in domo pietatem, fidem et bene merendi studia, quae in reliquis
 officiis profunderentur, sed in quavis actione animum aequabilem si-
 bique constantem conservare. Ac profecto omne iudicium de mo-
 ribus et indole hominis valde imperfectum, nedum fallax et va-
 num, esse videtur, nisi spectata cuiuscunque vitae privatae ratione.
 Est enim communi experientia cognitum, eos, qui in negotiis ce-
 teris obeundis publicisque muneribus administrandis neque studium
 suum desiderari neque diligentiam curamque finant, summaque
 patientia sustineant laborum molestias et pericula, citiusque vitam
 quam fidem amittere velint, si iam privatim agant, sive cum fa-
 milia, sive cum amicis vel etiam cum inimicis, negligentissimos,
 impatientes, timidus fieri, ac, dum in conspectu multitudinis
 pravum ingenium callide occultant, id relicto virtutis suae theatro,
 deposita melioris indolis specie, satis depravatum abiectumque
 ostendere. Horum igitur quomodo sive virtutis perennitas laudari
 cum veritate, sive fraudes et versutiae detegi poterunt, nisi ad-
 spectu vitae privatae, cuius non minus quam publicae, ut ornatus
 certissimus, ita comes et reatrix perpetua virtus esse debet? Neque
 enim vera virtus ulla ratione, ullo tempore, et in ulla conditione
 a se desciscit, sed cum omnibus vitae partibus copulatur singulisque
 factis velut intertextitur. Denique si actiones legitimae animique
 indoles laudabilis praelucere debent ad imitandum, privatam vitae
 rationem fas est multo attentius spectari, quam publicam. Nam
 ad hanc pauci tantum aspirare possunt seque conformare, quos
 vel ingenii vel muneris similitudo ad imitationem allicit et idoneos
 reddit; ad illam omnibus aditus patet ex ipsa naturae conformatione:
 in illa multi, qui exemplorum magnitudinem a se attingi posse despe-
 rant, ab imitando absterreri sese patiuntur; in hac se etiam ad viros
 magnos tantilla vi sua accedere posse laetantur. Jam, si ad vitam Jesu
 de-

deveniamus, ea sic peracta est, ut privata disciplina non minus sublimis et admirabilis reperiretur, sic descripta a viris sanctis, ut, cum obscurior interdum esset, tum praecipue factis studiisque pietatis et humanitatis illucesceret, utque nemo dubitare posset, quin, quam is studiosissime contra Pharisaeorum ostentationem commendavit, virtutem privatam et in latebras se contrahentem, eam impensissime et constanter exercuerit. Hoc igitur quomodo intelligi, qua ratione quoque fructu teneri debeat, restat ut exponamus.

Sed virtutis privatae campus amplissimus, modus agendi varius, exercitium multiplex est, ut, de singulis dicere, fere infinitum foret: spectatur autem praecipue in rebus terrestribus appetendis utendisque; in communitate et consortio cum hominibus, probis, peccatoribus, inimicis; in contrahendis et alendis amicitiiis, in otio denique et solitudine, quae singula non modo ad efformationem morum, sed etiam ad cognitionem ingenii et indolis cujusque plurimum conducunt. Cui igitur difficile iniueundumve fuerit, in vita Jesu humili expendere ac admirari tum moderationem in quaerendis rebus externis, quibus plurimorum studia multo vehementius, ac decet sapientem, solent inhiare, tum in utendis temperantiam, ortam ab animi magnitudine, quae longe maioribus et certioribus bonis frueretur, uteretur, beatamque se aptamque ad beandos alios reperiret? Itaque opum et divitiarum appetentia nulla, honor nullus; nullae de fortunarum tenuitate querelae; paupertas honesta, quam non declinavit, non putavit turpem et ignominiosam sibi fore, non dissimulavit: nempe haud ignarus fuit, rei familiaris copia curas et sollicitudines adangeri, increfcere peccandi pericula et invalescere, animumque facile a studiis et admiratione rerum invisibilium averri, paupertate autem nihil detrahi vel honoris vel felicitatis aliquid, vel occasionibus bene merendi, ubi perennioribus divitiis animus fuerit instructus, veritate, sensuque pietatis et benignitate, quae beneficia sua non ex arca sed quacunq; virtute deponit. Itaque splendoris, qui oculos percellit, potentiae, honorum, nulla cupiditas, admiratio nulla, nullum studium; nullus ex humilitate sive generis et familiae sive conditionis et fortunarum pudor; nullus ex ignominia et contemptu, haud promeri-



ro, dolor; adversus calumnias defensio nulla, nisi cum muneris sui dignitati officerent; animus averfians inanem ostentationem sive religionis, ut erat in Phariseis, sive ingenii et eruditionis, ut in Sadduceis, nihil sibi arrogans, non sectans plebeculae gratiam, non arripiens majestatem et honores, non tamen refugiens laudem omnem, sed in ea potius promerenda, quam obtinenda occupatus. Sed vide, quibus ex rebus honorem quaesiverit, nempe veritate cognoscenda, officiorum praestantia, fidei perennitate; quibus artibus eum tueri voluerit, nempe sapientia, humanitate, benignitate, defensione justa, sed adversus iras vehementiamque omnem mitigata, quae demonstraret, se nec obscuritatem nec etiam contentum reformidare. In ceteris autem rebus, quae sensus suavitatis et voluptate adficiunt, temperantiae ac sobrietatis exemplum quale praestiterit, multis actionibus per vitae ejus decursum intelligitur. Ac appetitionem earum sic direxit, ut illas quidem non cupide ambiret, nec horum bonorum carentia infeliciorum sese iudicaret, sed ut oblatas ab hominibus nullo modo, ne quidem ad avertendam invidiam et criminationes severiorum hominum praecavendas, recusare vellet et averfari, quorum illud est hominis vani, sensuumque impetu recti, et invidi, hoc austeri et inhumani; alterum molliem gignit, alterum confine est saevitiei erga semetipsum et odio erga alios, unde plurima mala prosuunt. In voluptate autem capienda et lautiore vivendi modo, si quae occasio oblata esset, facile teneri potest, quomodo naturam secutus sit, rectam per sapientiae modum, lubenter carens cum abstinentiam munus postularer, sed parum curans nec exempla et auctoritatem quorundam, qui nescio qua sanctitatis specie et opinione et laude iciuniis vacarent, nec iudicia aliorum, qui remissionem ab ista severitate disciplinae et ἀφεδια τοῦ σωματός ut indignam viro gravi et sancto condemnarent, nec pericula, ne his rebus utens ad luxuriam, ad profusionem, ad desidiam, ad molliem declinaret: etenim illa iudicia non veniunt ab animo humano et miti, sed superbo, avaro, et invido, haec autem pericula non opprimunt, nisi incautos et leves, qui vitae fructum unicum in deliciis sensuum quaerunt, neque illas parcius gustare sed devorare avidissime consueverunt: ab utroque autem vitio immunem se continet is, qui Dei bene-

beneficia commendaret, nosset humanae naturae praestantiam, castigando animum potius quam corpus ad virtutem exerceret, nec extrinsecum rerum usu sciret hominem pollui, mentis integritate et puritate conservata.

Sed is animus humanus et civilis cum maxime nutritur et acuitur societate hominum et coniunctione humana, qua remota virtus ipsa feritas fit quaedam et immanitas. Illam igitur non modo tenebimus haud refugisse Jesum, neque pietatis praetextu, neque securitatis causa adversus iudicia, calumnias atque insidias hominum, neque propter exercitia, quae muneris sui publici rationes adiuvarent, neque cum fastu, qui homines ἀδελφους ἐπινομαζεν κατὰ σχυνε-
ται: quomodo enim humani generis servator avelleret sese a communitate? verum etiam maxime, quo modo iniverit, qua ratione foverit, qua rexerit, dispiciendum est. Quod quidem non indignum existimavit nec sanctitate sua, excipi coetibus peccatorum; nec gravitate sua, immisceri lautis laetantium convivis; nec prudentia, inter adversariorum agmina versari; nec dignitate sua, pauperum casulas adire, exoculari puerulos, colloqui cum haereticis; quod affabilem inter tot ac tanta negotia, ad officia paratum, colloquiis utilem et suavem, hilaritatis non castigatorem invisum sed autorem et promotorem liberalem sese ostendit; quod a conversatione regum et potentum, aularumque consortio sese retraxit; quod ne hospitem quidem vitis indulset, sive arrogantiae, cum a Pharisaeis vocatus esset, sive, cum a publicanis exciperetur, iniustitiae; quod ubi versutia adversariorum tentandae accusandaeque virtutis eius casum proponeret, nec aufugit timidus, nec in vectiva oratione sodalitates eorum turbavit, nec irae, utur justae, nec auctoritati, quamvis maximae, nec odio quidquam cessit; quod, quanquam nihil per simulationem nec pietatis nec amicitiae egerit, ne cum iis quidem, quos ut callidos et infensos sibi simulatores nosset, tamen non dubitavit interdum celare et dissimulare iudicia, consilia, notitiasque suas, nec se temere credidit iis, quorum de malignitate persuaderetur aut de integritate iusta dubitatio incideret; quod denique nihil non accomodate ad tempus, locum, ingenium, studia eorum, quibuscum colloquendi

loquendi

loquendi agendive opportunitas daretur, dixit, instituit, peregit: haec indagare, haec intueri, haec persequi, in his viri boni ingenium, mores, instituta, velut in consumatissima imagine descripta explicare, colere, imitari, id vero est, praesentia Christi frui et inter vitae suae socios conversari.

Neque negligi velim vitae inter cognatos, amicos et familiares transactae contemplationem; etenim inter hos apertius studia morisque sese produnt. In qua cognoscemus primum in amicis contrahendis prudentiam, quae exploraret prius studia hominum et animum, ne indignis cor tam sanctum aperiretur; delectum, cui cari essent, quorum animus ratione excultus, virtute ornatus esset; modestiam, quae viris, virtute, honore, dignitate longe inferioribus ut amicis uti, haud erubesceret: deinde in fovenda familiaritate sinceritatem, quae nihil seitu utile et proficuum celaret, fidemque et constantiam caritatis, quae nec mercedes exigeret nec perfidia frangeretur, nec beatiore status sui mutatione immutari posset; denique in utenda amicitia curam et benevolentiam. Ea, etsi errorum indulgens, vitia severe castigavit, ita tamen, ut monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careret: ea tutrix adversus pericula, condolens, si quae amicis obvenissent, adversitatibus, ipsam eorum mortem deplorans, excusatrix infirmitatum, defendens contra criminationes iniustas, foras prodiit; ea, spe perennitatis excitata, dolorem absentiae mitigare studuit, seque ita se ab his familiaribus seiunxit, ut non amicitiam sed amicos deserere videretur. In quo quis non videt sentitque amicitiae dulcedinem et, ut ita dicam, divinitatem?

Denique comitari decet Jesum in solitudinem et otium. Quemadmodum enim non ita totum se in scientiae et veritatis studiis collocavit, ut negotia omnia omitteret, et solivaga quadam cognitione acquiescens, subterfugeret societatem, ita non tam carum habuit officium, quin etiam interdum secederet a turbis multitudinis molestae, amicorumque comitatu, et in hoc otio vires exhaustas restauraret, novas acquireret. Sed hoc rarius nec sine necessitate factum est, nec sine fructu et exercitiis; namque aut meditationibus

bus in secessibus vacavit, aut precibus, in quibus magna atque utilis praeparatio ad actiones graves quaeritur et vis ad animum inducendum, ut officii faciendi necessitati lubenter se constanterque subiciat: nec per tempus diuturnum; mox enim confirmatus rediit ex solitudine ad commercia cum hominibus et muneris sui rationes promptius faciliusque persequendas, qui profecto et iucundissimus et nobilissimus otii fructus habetur.

Quodsi iam singulis in vita I. C. actionibus, quarum adhuc capita delineavimus, contuendis, diiudicandis admirandisque animus delectatus et quasi satiatus fuerit: novam majoremque voluptatem capiet ex praeclara conspiratione morum universaeque animi indole, quae colligendis singulis conspicua fit. In omni quidem virtute nihil est tam illustre, tam necessarium, quam contentus non tantum animi cum actionibus, sine quo mera est simulatio vanaque virtutis species, verum etiam actionum, ita inter se connexarum, ut, quantum tempore, modo, fructuque diversissimae sint, tamen, velut radii in centro, conspirent: ut nihil committatur, legibus divinis caritatisque hominum adversum, conservetur morum aequalitas et constantia, ac, quod quasi summum sapientiae est, privata studia non modo non obsint publicis officiis, sed ea potius, alant adiuvent, promoveant, perficiant. Quid vero? nonne in vita privata Christi, in otio, in familiaritate cum amicis, in communitate et societate cum adversariis etc. mera praeparatio est ad Evangelii praedicationem et commendationem, quae ei demandata esset? Ad haec indolem animi quis non in his actionum lineis pulcherrimis legat? pietatem, cui semper praesens sanctaque esset numinis memoria, generis humani amorem, qui nemini sese subduxit, magnitudinem, quae tot virtutes coluit, tantas actiones genuit, constantiam, quae, quidquid utile, bonum, pulchrum excogitari potest et perfici, id strenue exercuit, in eo perseveravit, unamque et perennem legem tenuit, generis humani felicitatem.

Harum meditationum similiumque de actionibus et moribus Iesu nullumne putemus aut tenuem et contemnendum fructum obtineri? Ac mihi, si quid virtutis sensus, si quid iudicium valet, ingens et multiplex esse videtur. In universum admirabilis suavitas inest commercio bonorum hominum et in memoria dictorum factorumque, quibus

bus quisque sive publice inclaruit sive domi familiares contraxit, ac de civitate et familia bene meruit. Virtus quidem, quae non laetatur vicinia virtutis et adspectu praeclararum actionum, aut invidet alienis meritis, aut friget, aut angustis finibus felicitatem humanam vult contineri, et, si quid huius vitii adhaerere sibi patitur, dubia est et inanis. Neque illa oblectatio, digna sapiente et puro animo, oritur tantum a contemplatione virtutis, verum etiam multa alia capit nutrimenta et incrementa. Vides exempla, quae magnitudine percellunt mentem evehuntque, et magnifice sentire iubent de hominis natura, in cuius societate viri tam magni, tam praestantes et clari vixere, et mitigant dolorem ex intuitu sceleris inductum: haecine generis tui ornamenta possis sine voluptate intueri, quae, quantum valeat vis humana, quo progredi, quo evehi possit, luculenter docent? Spectas honitatem in indole et actionibus: at vero iucundum est, tum perlentiscere insitum in mente tua veri rectique amorem. Admiratione te ferit praestantia morum: rursus oblectat, inter magnas res versari. Caros tibi efficit virtus bonos viros: nihil suavius reperitur amoris sensibus; ad imitationem incitat: sed summa voluptas est nosse, quibus assimilari cum laude possis. Est is communis omnium exemplorum fructus certissimus, ut iucunditatis et laetitiae sensus animis instillent, quorum fontes in vita moribusque Iesu Christi apertius largiusque profluunt, cum nihil impuritatis vitiique offendat, nullaque labes exempli vim minuat, factorumque tum intrinseca praestantia, tum multiplex copia tum consensus singularis reliquorum mores longe post se relinquat. Sed maior relinquitur isque proprius in hac vita intuenda fructus. Non dicam, quantam vim hoc studium habeat ad persuadendum Iesu Christi dignitatem, cultumque, viro divino debitum, lubenter praestandum, nam haec persuasio multo magis a publica vita eius venit, quam a domestica et privata: maximus esse videtur hic, quod his meditationibus tam iudicium de virtutis indole, tum ipsum virtutis studium mirifice acuitur. Iudicium quidem: nam quidquid Iesus privatim et qua ratione egit, id ea ratione et modo non potest tollere innocentiae laudem, nec adversari voluntati divinae, nec non componi cum vero virtutis cultu et studiis. Etenim qui Deo probatissimus fuit in universa vita, is nihil non licitum, non consentaneum voluntati

numi-



numinis, non imitatione dignum cogitasse, dixisse, fecisse, putandus est. Non erratur, si via virtutis quaeritur, si, quam ille tenuerit, dispiciamus. Hac igitur via intelligemus, veram virtutem non delitescere in deserto, nec sensibus et meditationibus meris, ieiuniis et precibus sine fructu contineri, sed immisceri hominibus, socios quaerere, actionibus utilibus prodire, vitae bona haud omnino repudiare. Hac via intelligemus, eandem occupare vitam omnem, regere officia publica, motus privatos gubernare, neque in forum tantum templumque et conspectum multitudinis venire, sed etiam inter amicos, in secreto, in solitudine, tanquam comitem fidum perpetuumque adsidere piis, ac hac ipsi constantia morum quam maxime lucere. Hac via intelligemus, multa posse copulari cum virtute, quae saepe ab hominibus superbis et vanis per opinionem *ελεθροσκειας* ut impia, inania, et indigna cultore Christi non modo omittuntur (quod tolerari potest) sed etiam in aliis diro et inhumano decreto condemnantur, ut conversari cum peccatoribus, participem fieri laetitiae aliorum etc. Hac via intelligemus, Christum et disciplinam eius sanctissimam non tollere nec hilaritatem, amicorum familiaritatem, lautioris fortunae usum, sed commendare, sed regere, sed cum ipsa virtute connectere, nec prudentiam, quae se genio hominum temporique, et loco, cum quibus et in quo vixeris, in vestitu habituque externo et colloquendi ratione accomodat. Hac via intelligemus, qua ratione et fide, privatae actiones omnes ad publicum officium conferri et possint et debeant. Sic schola aperitur virtutis in exemplo Iesu Christi, quod in actionibus privatis multo magis proponi ad imitationem potest: nam quae ille in munere suo et propriis officiis gessit, in eis non actio sed animus commendari potest, in his, quae communia sunt cum hominibus, aditus ad eandem animi indolem et conformationem in agendi ratione a nemine erit alienus.

Qua re vel ipsum virtutis studium acuitur in homine, qui imaginem Iesu in vita sua referre voluerit, non in stigmatis vulnere, nec in gressu vel vultus humanitate, nec in doctoris legatique divini auctoritate, sed in modestia, in conversatione cum amicis, in aequalitate et perseverantia. In his quis non quaerat attingere omnis virtutis exemplar et conformari illi, quem



propter tantas animi dotes, propter mores compositos, propter amorem generis humani, propter beneficiorum amplitudinem et fructum ad nos derivatum colit? Omnis enim vitae ratio sic constat, ut Quintilianus (*Inst. or. 10. 2*) inquit, ut, quae probemus in aliis, facere ipsi velimus, utque, quem impensissime colimus, eum studiosissime imitemur.

Haec quidem apud animum repetere, hoc quoque tempore, in hac festivitate consentaneum et pulchrum et utile erit. Non enim a memoria nativitatis Iesu separari potest vitae, quam tum ingressus est, et actionum, quibus illa inclaruit, cogitatio jucunda, recordatio pia iustaque celebratio. Quae meditatio, quae laudatio si decet quemcunque Christianum, multo etiam magis digna est, **CARISSIMI CIVES**, Vobis, qui se sapientiae verae, id vero est, iudicii de quacunque re et actione recti et veri atque artis bene et pie vivendi, cultores et alumnos profitentur. Quare Vos hortamur, ut hanc sapientiae virtutisque scholam, quam Vobis religio aperit, frequentes adeatis, erga religionis ministros, quorum institutio praesto est, humanitatem officiis, caritatem liberalitate demonstretis, atque universa morum compositione ad perfectionem Iesu Christi adspiretis. Nemo unquam animo aut desiderio ad majora enitetur, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet.

P. P. Festo Nativitatis Iesu MDCCLXXXVI.

